

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Sortilegium et diuinatio c  
cum fonte primo

Qui sine saluatore salutem uult habere, et sine uera sapientia estimat se prudentem fieri posse, non sanus sed eger, non prudens sed stultus in egritudine assidua laborabit, et in cecitate noxia stultus et demens permanebit. Ac proinde omnis inquisitio et omnis curatio que a diuinis et magis uel ab ipsis demoniis in ydolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est quam uita.

Augustinus in libro de ciuitate Dei.

Qui enim sine Salvatore salutem uult habere, et sine vera sapientia aestimat se prudentem fieri posse, non saluus sed aeger, non prudens sed stultus, in aegritudine assidua laborabit: et in caecitate noxia stultus et demens permanebit: ac proinde omnis inquisitio et omnis curatio, quae a diuinis et magis, uel ab ipsis daemoniis in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est, quam uita:

et qui ea sectantur, si se non correxerint, ad aeternam perditionem tendunt: quoniam Psalmista dicente: «Omnes dii gentium sunt daemones (*Psal. XCV*),» qui perceptos homines alios decipere quotidie gestiunt, ut perditionis suae faciant eos esse participes.

Rabanus Maurus, *De magicis artibus* (PL 110, col.1097A-B).